

liquatae, vaporibus ventorum vi inter se collisis, inque majores guttas resolutis, agmine velut facto & turmatim præcipitantur in terram.

§. XIV.

Tametsi vero facile concipere liceat, quomodo australes venti convehant nubes, hæque se exonerent in imbres nimbosque, nec minus manifestum sit, nubes hæc non augere (uti quidem nonnullis visum,) aeris levitatem, cujus ex parte effectus sunt, præprimis cum levitas ista nubes non raro præcedat, & duret his sublati, imo alibi cum intemerata serenitate sit conjuncta, (uti nos docent illustr. *Marsilii* Observationes in §. 12. cap. 2. citata) pariterque nubes frequentes sint, pondere aeris admodum aucto: id tamen multorum excruciauit clarissimorum virorum animos, quomodo cum tantis montibus aqueis, aeri nostro ingestis, hujus levitas consistere possit, cum aqua intra nubes contenta omnino fortius subjectam premere debeat atmosphæram, quam si illud spatium nudus replevisset aer. Enim vero, uti lubentes admittimus, aquam esse millies graviolem aere, ita non necessum putamus, ut concedamus, vapores in aere volantes eodem graviores esse. Siquidem commode cum *Edmundo Hallejo* talem concipimus vaporum genesin, quod viscosa aquæ puncta a calore in exiguas resolvantur vesicas. Quod si jam ejusmodi vesicula tantum expandatur, ut ejus diameter sit decuplum diametri puncti aquei; occupabit, vi principiorum Geometricorum, millicuplum nativi spatii, & consequenter erit tantillo aeris quoad pondus æqualis, imo eodem levior, si ejus tumor vel minimum augeatur. Possibilem vero esse talem aquæ distractionem, non negabit, qui cogitat ingentes illas bullas, quas